

VIII

ronam et gladium prae oculis habes, utrum vis potius accipito, alterum filio relinquito. Tunc Bela, vel praemonitus periculi, vel conscientia et fraterna liberalitate victus, optatum sumsit gladium, coronam ultro nepoti concessit. Spectata fratris modestia rex, — extemplo ante Belae pedes profiliuit, genua amplexatus, ingentes gratias egit. — Sed id Belam (pergit Bonfinius) prae timore fecisse, ostendit exitus; quippe paucis post mensibus, — cum uniuersa familia ad Mesconem socerum in Poloniam effugit. Conspirat cum Bonfinio Thurocius II. 44.

Sed quaenam illa pars regni tertia, ad mensa Ducibus, non satis constat: et silent Scriptores. Ut eam rex Andreas fratri Belae; ita huius filiis Geyzae et Ladislao, filius Andreae Salomon, Bela mortuo rex Hungariae, cum ducali praerogatiua tradidit. Belam certe aiunt, Ducem, sedem in arce *Sáros*, quae cognominis Comitatus caput olim fuit, habuisse, ubi et vicina Poloniae loca possederit. Secutis temporibus, et permutatas ducum ditiones legimus, ut Belae IV. tempore, qui filium Stephanum Transyluaniae Ducem dixit, scribente Thurocio. Andreas dein III. viuentem adhuc Ladislao rege, in Hungariam subintravit, eo quod esset dux, qui deberet habere portionem in regno, regis Andreae, aui sui, titulo: Thuroc. II. 82. Hoc apud Hungaros in confesso est, illas regni Prouincias, seu Comitatus, quorum nomina terminationem *Ság* vel *Ség*, ut v. c. *Somogyśág*, *Liptóśág*, *Nyirśég*, (Comitatus Zabolcsensis tractus bene amplus, Ducatus olim fuisse, et suos, siue temporarios Duces, siue perpetuos habuisse.

DE DUCATVS FORMVLA, nisi per coniecturam, vix quidquam e scriptoribus, qui huc pertinent, elicias. Apanagium fuit illa pars tertia regni, ita reor, de qua Duces sustentarentur; etsi Thuroc. l. l. tertiam regni partem duci in proprietatem collatam scribat, ut regi duas reliquas. Igitur reditus suos in illa ducali ditone duces curabant, salua omnino regibus, ut in omni regno, iurisdictione. Ita Bonfinius, Almu fratrem, ait, ad sua oppida redire permisit Colomanus II. 5. Confirmant me